



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

368. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

mè, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur. Quæ autem inconsultè factæ sunt, juxta decretum canonicum Hilarij Papæ, quæ illicitè decessor Episcopus admiserit, vel ab aliis illicitè commissa sunt, ab eo qui successor est emendentur. [*Vide Concilium Valentin. III. cap. 21. & lib. 3. Leg. Longob. tit. 10. cap. 3.*]

Decreta Hilarij c. 1.

Ne Præcepta fiant super beneficia ecclesiastica vel precarias. *Ex Concilio apud sanctum Medardum cap. XI.*

Concil. Meld. c. 22.  
Capitula Karoli Calvi tit. 6. c. 7.  
Burchard. lib. 3. c. 175.

CCCLXVII. Præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio finit nec auctoritas quolibet modo permittit: quoniam Præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore petantur. Idem autem custos Ecclesiæ sollertissimè caveat ne sui ordinis & ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem Præceptum regium pro quacunque adsentatione fieri petat: qui etsi fecerit, non audiat. si autem & obtinuerit, regia discretionè & episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro Principis injusta suggestionè dignè corripiatur.

De eadem re. *Ex eodem cap.*

Capitula Karoli Calvi tit. 9. c. 7. §. 11.  
in Concilio apud sanct. Medard.

CCCLXVIII. Sciant fideles nostri quia concessimus in synodo venerabilibus Episcopis ne super beneficia ecclesiastica vel precarias, etiamsi quilibet monasteriorum prælatus inrationabiliter petierit, Præcepta confirmationis nostræ ullo modo faciamus.

Et ideo ab inrationabili petitione se unusquisque compescat.

Ne commutationes fiant de rebus ecclesiasticis sine consensu Regis. Et ut mancipia ecclesiastica nisi ad libertatem commutentur. *Ex eodem, cap. XII.*

CCCLXIX. Ut Missi nostri omnibus per illorum missaticum denuntient ne commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum quilibet praelatus sine licentia & consensu nostro praesumat facere.

Capitula Karoli Calvi  
ibid. §. 12.  
Burchard. lib. 3. c. 172.

A L I A.

Neque mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet; videlicet ut mancipia quae pro ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiae servitute permaneant, & ecclesiasticus homo qui commutatur perpetua libertate perfruatur. Quod enim semel Domino consecratum est, ad humanos usus jam transferri non potest. Ait enim lex: *Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, sacrificabitur Domino.*

Capitula Karoli Calvi  
ibid.  
Burchard. lib. 3. c. 173.

Levit. 27.

*Quae sequuntur post illa verba perpetua libertate perfruatur, non extant in actis Concilii Sueffionensis, unde illa citat Regino, neque in Capitulis Karoli Calvi, non demum in Capitulari Compendiensi à nobis edito in appendice Lupi Ferrariensis, quod descriptum est ex Capitulis editis in synodo illa Sueffionensi. Habentur tamen etiam apud Burchardum, qui haud dubie accepit ex Reginone.*